

xilium cum consequantur consensum liberum praevisum, non possunt impediri ex impotentia consequenti libertatis usum.

212. Resp. 3.^o facilius, ut videtur. Licet Deus sit ita dispositus (ex Supp. II.^o), ut non daret auxilium A, si praevideret dissensum; non tamen est necessum ut exequatur auxilii donationem per decretum cum dissensu repugnans, sed potest illud dare per decretum indifferens ad consensum vel dissensum, cum id requiratur ad libertatem, quam Deus illaesam servare intendit.

Hoc supposito, nulla est repugnantia antecedens in eo, quod auxilium ex decreto indifferenti pendens cum dissensu jungatur.

Unde scientiae reflexae Dei (ex Supp. II.^o) infallibilitas salvatur per praevisionem certam consensus (ex Supp. 1.^o); libertas autem integra permanet, cum conferatur auxilium decreto executivo indifferenti.

§ IV.

Conditionata libera disparata.

213. Quoad veritates conditionales disparatas, puta; si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem; duo quaeri possunt: 1.^o utrum a Deo cognoscantur, 2.^o utrum per scientiam mediam.

Quoad 1.^m non est dubitandum, Deum quamlibet cognoscere veritatem, et ideo quid accideret Petro in quavis circumstantia.

Quoad 2.^m vero, dicendum non cognosci a Deo ejusmodi veritates, ut conditionate extituras *sub tali conditione*, sed potius ut *conjunctive* extituras. Illa forma enim conditionalis; «Si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem,» prae se fert aliquam conducentiam conditionis ad conditionatum, quae revera non datur: non ergo sub forma conditionatorum veritates istae cognosci possunt, sed sub forma absoluta cujusdam temporalis concomitantiae: puta; dum gallus cantaret, Petrus quoque converteretur. Jam vero haec veritas, cum nullam involvat inter objecta dependentiam, sed merum complexum et concomitantiam, pari modo existeret conversio Petri, gallo non cantante.

CAPUT IV.

De divina voluntate.

ARTICULUS I.

Quod in Deo est voluntas.

THESIS XXXV.

In Deo datur voluntas, ad modum actus purissimi.

214. *Nota:* significatur voluntatis nomine vis illa, seu actus, quo natura rationalis formaliter inclinatur in bonum ratione cognitum. Propositio est de fide.

Prob. 1.^o Ex Vat. Conc. (1): «Si quis dixerit Deum non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat se ipsum; anath. sit.» Et Damasus (2): «Si quis non dixerit Patris et Filii et Sp. S. unam voluntatem; »A. S.»

2.^o Docuit nos Christus orare (3): *Pater noster... fiat voluntas tua.* Et Paulus ait (4): *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Ita passim SS. Litterae. Unde et Augustinus ait (5): «In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti quaerunt voluntatem Dei.»

215. 3.^o Ex aliis fidei veritatibus, puta; Trinitatis; quia tertia Persona per amorem procedit: praedestinationis; qua decrevit Deus electorum salutem: providentiae; qua ad finem omnia a Deo ordinantur, etc. thesis confirmatur.

4.^o Si Deus non ageret voluntate, ageret natura. Sed non agit natura; ergo voluntate.

Min. prob. Agens natura est ad unum determinatum, ut ignis ad calefaciendum. Sed Deus non est determinatus ad unum; ergo ex natura non agit. *Maj.* patet. Nam agens natura agit secundum quod est: atqui unumquodque est natura unum. *Min.* etiam est aperta: si enim Deus, natura sua, esset ad unum agendum determinatus, ageret infinitum. Praeterea a posteriori elucet; cum effectus

(1) Const. *Dei Filius*, c. 1, et can. 5. — (2) In Synod. Rom. can. 20. — (3) Matth. VI, 10. — (4) Ephes. I, 11. — (5) *De Doctrina Christ.* l. 2, c. 8.

Dei sint multi et varii; non ergo potest esse ad unum determinatus. Verum de re hac infra agetur.

5.º Res a Deo procedunt intelligibiliter operante. Sed non ita procederent nisi voluntatis accederet imperium: ergo est in Deo voluntas.

Maj. patet: eo enim modo a Deo res procedunt, quo praeexistunt: praeexistunt autem intelligibiliter, cum esse Dei sit suum intelligere (1). *Min.* etiam elucet. Nam indifferens ad esse, ut sit, indiget determinari. Sed formae rerum, prout sunt in mente tantum, sunt indifferentes ad esse; referunt enim entia contingentia: ergo inclinatione aliqua ut sint, seu producantur, determinandae sunt.

Subsumo. Atqui inclinatio ad agendum id, quod intellectu concipitur, est voluntatis actus: ergo non ita procederent nisi in Deo adesset voluntas.

216. *Corollar.* Inveniri in Deo voluntatem ad modum actus purissimi, patet ex statutis, supra (2).

217. *Objic.* 1.º Deus non habet finem: ergo neque voluntatem, cujus objectum est finis.

Resp. Dist. ant. Finem operationis non habet; nego *ant.* Finem operantis; subd. Ut determinantem causaliter; conc. Per identitatem; nego.

Deus cum sit a se ac simplicissimus, se ipsum identice determinat, et voluntate sua in propria bonitate amans quiescit.

Inst. Finis est causa finalis. Atqui nullo modo Deus aut ejus operatio causam habent: ergo neque finem.

Resp. dist. maj. Finis per identitatem; nego. Finis qui talis est per ordinationem propriam; conc. *maj.* et dist. *min.* Operatio, quae nullo modo a Deo distinguitur, causam non habet; conc. Eo modo quo distinguitur, ratione vel virtute; nego. Nam operatio, quae ratione vel virtute distinguitur, eodem modo et ad finem ordinatur.

218. *Objic.* 2.º Voluntatis est non tantum inclinari ad bonum, sed etiam averti a malo; ergo definitio tradita non est adaequata.

Resp. Dist. conseq. Non est adaequata radicaliter; nego. Formaliter; subd. Secundum denominationem voluntatis, scil., a *velle*; nego *conseq.* Secundum denominationem a *nolle*; concedo.

Sane voluntas amat et odit, ut intellectus affirmat et negat. Odium autem, seu nolitio, in amore radicitur; propterea dixi, definitionem esse radicaliter completam.

(1) Supra, n. 33.—(2) Nn. 24, 40.

219. *Objic.* 3.º Voluntas est appetitus. Sed in Deo nequit esse appetitus: ergo neque voluntas.

Resp. nego. min. Nam quatenus appetitus est facultas volendi, ut dictum est, Deo inest: quatenus significat desiderium ejus, quod non habetur, etiam Deus multa voluit et vult, puta existentiam mundi, salutem electorum omnium, imo et salutem reprobatorum.

Inst. 1.º Appetitus supponit boni carentiam privativam, et potentialitatem. Sed ejusmodi Deo repugnant: ergo.

Resp. Dist. maj. Boni formalis carentiam; conc. Boni carentiam absolute; nego *maj.* Nam Deus eminenter habuit semper omne bonum, non autem formaliter.

Item: importat potentialitatem, id est, perfectibilitatem; nego. Aptitudinem, seu capacitatem, habendi quod appetitur; conc.

Inst. 2.º Desiderium est de re futura: sed nihil est Deo futurum, omnia sunt ei praesentia; ergo.

Resp. Dist. maj. De re futura praecisive, seu in signo desiderii conc. Positive, seu physice futura; nego *maj.* vel transmittito.

Deinde, dist. *min.* Sunt Deo praesentia secundum intuitum, seu moraliter; conc. Coexistentia physice; nego *min.* Cum enim Antichristus, ex. gr., non existat physice, neque Deus eidem coexistere potest.

SCHOLIA.

220. De appetitu innato, et utrum in Deo existat, non pauci, nec obscuro, inquirunt Auctores. Nos brevitati consulentes pauca dicemus.

I. Aliqui ita appetitum innatum definiunt, ut non tantum convenientiam, sed etiam boni indigentiam referat: Sic S. Bonaventura (1). Quo sensu utique, non est Deo appetitus innatus tribuendus.

D. Thomas dicit (2); hunc appetitum esse inclinationem ab instituyente naturam procedentem. Patet, voluisse definire tantum creaturarum innatum appetitum.

Verum in Summa (3) dicit, esse inclinationem naturalem ad bonum sibi conveniens. Ita Augustinus (4); et alii DD. qui addunt communiter, esse quamdam impossibilitatem carendi connaturaliter tali bono convenienti.

221. II. His positus, *Dicendum* I. Deus habet appetitum innatum in sua praedicata essentialia. Nam utique Deo convenientia sunt, et impossibile est illis carere. Licet au-

(1) In 4, dist. 49, a. 1.—(2) 3, dist. 27, q. 1, a. 1.—(3) P. 1, q. 60, a. 1, ad 3.—(4) *De civit. Dei*, l. XI, c. n7.

tem haec inclinatio ad sua attributa non sit realis, quia nulla est realis potentia activa vel passiva ad illa suscipienda; est tamen inclinatio secundum rationem, eo modo, quo essentia ab attributis distinguitur, ut supra dictum est (1).

222. Objic. D. Thomas ait (2). «In Deo non conceditur esse appetitus, quia appetitus, secundum Augustinum, est proprie rei non habitae.»

Resp. Dist. et explico: Appetitus, secundum nominis originem, est proprie rei non habitae; conc. Secundum omnem significationem; nego. Ita ipse S. D. (3). «Nomen appetitivae partis non solum ad ea, quae non habentur extenditur, sed ad multa alia; sicut nomen lapis...»

223. Dico II. Etiam circa proprietates relativas inest Deo appetitus innatus.

Ratio est eadem. Imo facilius inclinatio essentiae in attributa relativa concipitur, cum virtualis et non solum rationis interveniat distinctio.

224. Objic. Nulla concipitur ad relationes convenientia, cum sit per essentiam Deus infinite perfectus.

Resp. Dist. Est in essentia infinite perfectus eminenter; conc. Quoad omnem formalem perfectionem quam in se ostendere potest; nego. Quaevis enim divina relatio est perfectio formaliter in illo suo esse infinita: aliunde ex divinae essentiae necessaria fecunditate relativae perfectiones necessario producuntur; nihil ergo ad appetitum innatum deest.

Nota: quaerunt quoque AA. in Theologia scholastica illustres, utrum insit Deo appetitus innatus ad possibilia, ad decreta libera, ad existentiam rerum, ad scientiam contingentium, etc. Verum haec, pro temporis opportunitate, apud eos videsis.

ARTICULUS II.

Divinae voluntatis objectum.

THESIS XXXVI.

Deus necessario se ipsum amat propter suam infinitam bonitatem.

225. Prob. I.^a pars. 1.^o Ex Vatic. (supra, Thes. XXXV) ubi definitur Dei libertas in creando, ex oppositione ad necessitatem se ipsum amandi.

(1) Thes. XXXV, n. 142.—(2) 1. dist. 45, a. 1, ad 1.—(3) P. 1, q. 59, a. 1, ad. 2

2.^o Amor Dei est attributum infinitum. Sed non esset, nisi se ipsum amaret; ergo se necessario amat. *Min.* prob. Amor qui solum fertur in bonum finitum, non est infinitus. Sed, extra Deum, nullum bonum est infinitum: ergo non esset, nisi se amaret, amor ejus infinitus.

3.^o Indigere bono alieno, est indigentis imperfectio. Sed si Deus non amaret necessario se ipsum, indigeret bono a se alieno; ergo esset imperfectus. *Min.* patet. Amor enim sine bono amato esse nequit. Vel ergo Deus necessario et essentialiter amavit se ipsum, vel aliud a se bonum; siquidem est actus purus.

226. II.^a Pars. prob. 1.^o Sola divina bonitas est infinite amabilis. Sed amor Dei est infinitus: ergo necessario amat se propter suam bonitatem.

2.^o Amor unit amantem amatae bonitati. Sed amor Dei identice unitur summae ejusdem bonitati: ergo illam necessario amat.

3.^o Divina bonitas adaequatur divinae ab bonum inclinationi. Atqui inclinatio, quae a vi alliciente adaequatur, nequit manere suspensa et indifferens, sed necessario trahitur; ergo necessario se Deus diligit ob suam bonitatem.

4.^o Deus est necessario et ex se ipso beatus. Sed non esset nisi se propter suam infinitam bonitatem amaret: ergo. *Maj.* patet: confirm. ex Augustino (1): «Requies igitur Dei recte intelligentibus ea est, qua nullius indiget bono... quia et nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus... Se ipso bono perfecte beatus est.»

5.^o Si Deus se propter aliam solum amaret bonitatem, plus illam quam se amaret. Sed hoc repugnat, cum quaevis alia bonitas non sit nisi quaedam exigua Dei participatio: ergo ob suam se amat bonitatem.

6.^o Actus voluntatis specificatur ab objecto suo formali. Sed nequit actus divinus specificari ab alio, cum sit ens a se: ergo ipsa Dei bonitas est sui amoris formale objectum.

7.^o Si Deus se, amore necessario, propter aliam amaret bonitatem, omnia propter istam fecisset, tamquam ultimum finem: Atqui *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (2); et iterum: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis* (3).

227. Objic. Divinae personae ad infinitam bonitatem Dei spectant: sed pro priori ad divinas personas beatus est Deus et necessario se amans: ergo non ob suam bonitatem necessario se amat.

Resp. Dist. *maj.* spectant ad bonitatem Dei eminentem; nego. Ad formalem: conc. Et dist. *min.* Pro priori quoad originem se amat:

(1) *De Genes. ad liter.* 1. 4, c. 16.—(2) Proverb. XVI, 4.—(3) Apoc XXII 13.

conc. Quoad cognitionem; nego. Deus enim comprehendit essentiam et personas in essentia pro priori ad illarum processionem.

THESIS XXXVII.

Divina voluntas terminatur ad creaturas, existentes quidem amore efficaci, hypothetice necessario; mala autem odit; in possibilibus vero complacere potest.

228. I.^a Pars est de fide (1): *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti... Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Parcis autem omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Vide Conc. Vat. in Thesi XXXV. Et D. Thomas (2): «Dicendum, ait, quod Deus omnia existentia amat.» Augustinus (ibi. apud D. Thomam, a. 4): «Deus diligit omnia quae fecit.» Confirm. Quaevis creatura existens a Deo accipit esse: sed velle creaturas esse, est velle illis bonum, easque amare; ergo dum illis dat esse, necessario ipsas amat.

229. II.^a Pars prob. 1.^o Propheta ait (3): *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Habacuc, (4): *Mundi sunt oculi tui, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

2.^o Si posset Deus amare peccata, potuisset ea praedestinare. Sed id sub anathemate damnat Conc. Valentinum, can. 3. «Aliquos ad malum praedestinos esse non credimus; eos, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, illis anathema dicimus.»

3.^o Repugnat Deum amare, quod est rationi et divinae voluntati adversum. Atqui peccatum rationi et Dei voluntati adversatur: ergo illud amare nequit.

III.^a Pars prob.

230. Nota I.^a Alia est possibilitas *activa*, alia *formalis*. Non agitur de priori, quae, cum sit ipsa Dei omnipotentia, necessario amatur cum ipsa Dei bonitate: sed quaestio de *formali* intelligitur possibilitate.

II.^a Possibilitas formalis est non repugnantia praedicatorum cuiusque rei, seu, illa notarum concordia, qua, si res esse supponatur, vere est; è contra, impossibilitas rei est ea praedicatorum discordia, qua simul res esset et non esset.

Possibile autem materiale, seu in recto, est illud ipsum quod existeret si produceretur: sic mundus hic actualis, ipse erat ab ae-

(1) Sap. XI, 25-27.—(2) P. I, q. 20, a. 2.—(3) Ps. 2, V, 7.—(4) I, 13.

terno possibile, et talis fuisset etiamsi non esset conditus, talisque foret si in nihilum reduceretur.

III.^a Agimus de possibilibus *bonis*, non de peccatis, quae nec in statu possibilitatis amabilia sunt.

231. Prob. 1.^o Possibilia amare potest Deus, si boni rationem habent. Atqui bonitate fulgent: ergo et amare potest. *Min.* prob. a) Ex notione *possibilis in recto*. Est illud *ipsum*, quod esset, si fieret. *Sed bonum illud, quod esset, si fieret*, est vere bonum: ergo et possibile bonum est. b) Ex possibilitate formali. Bonum est id, propter quod, formaliter, non est aliquid pura chimaera, id est ens et non ens. Sed talis est possibilitas formalis: ergo. c) Antecedenter ad decretum unionis hypostaticae, haec erat Deo conveniens (1). Ergo et bona.

Prob. 2.^o Deus potestabilia revelare Angelis et hominibus, ita ut in illis videant quanta sit ejus potentia, bonitas, sapientia, etc. Sed potest Deus amare, quod in se ostendit gloriam suam: ergo possibile amare potest.

Prob. 3.^o Possibilia terminare possunt intellectum divinum, ut vera; ergo et voluntatem, ut bona vel mala.

4.^o Potest Deus sibi displicere in his quae prohibet, etsi non fiant: et in his complacere quae praecipit, etiamsi non perficiantur; ergo potest pure possibile amare vel odio habere.

232. Objic. 1.^o «Bonitas rei creatae non est ipsa ejus essentia; sed aliquid supperadditum, scil., ipsum esse ejus, etc.» (2). Sed possibile solum exhibent essentiam: ergo. Resp. Dist. *Maj.* Bonitas absoluta, seu physica; conc. Bonitas conditionata, seu moraliter existens; nego *majorem*.

Objic. 2.^o In hoc differt amor Dei a nostro, quod hic supponit bonitatem in rebus, ille vero infundit bonitatem (3). Sed possibilebus nequit infundi bonitas aliqua; ergo non possunt a Deo amari. Resp. dist. *maj.* Amor efficax, qui est velle bonum alicui, differt... conc. Amor simplicis complacentiae... Nego *maj.*

Objic. 3.^o «Amare est velle alicui bonum.» (4). Sed nullum bonum vult Deus possibilibus: ergo neque illa amat.

Resp. Dist. *maj.* Amare efficaciter; conc. Nam hic amor tendit ad bonum ponendum. Amare simplici complacentia, vel gaudio; nego, vel subd. Exercite est velle bonum; conc. Signate; nego.

(1) P. Thom. p. 3, q. 1. — (2) Ibid. p. 1, q. 6, a. 3. — (3) Q. 20, a. 1.— (4) Ibid.

ARTICULUS III.

De divinae voluntatis libertate.

THESIS XXXVIII.

Dei voluntas libere fertur, libertate indifferentiae, in creaturas, seu, in opera ad extra non mala.

233. Nota I.^o Quidam ex Philosophis gentilibus, nec non ex haereticis, negaverunt libertatem Dei erga creaturas: ita Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Jansenius, et alii recentes.

II.^o Voluntatis actus potest esse efficax vel simplicis complacentiae: sic, erga creaturas existentes habet Deus amorem efficacem; erga possibles autem, puta, reproborum salutem, habet complacentiam, licet quoad illam per media necessaria procurandam habuerit etiam voluntatem efficacem.

III.^o Intelligitur thesis tum de creaturis possibilibus, tum de existentibus. Tamen quoad existentes est fide certa; quoad possibles autem probabilior: nam praeclari Auctores censent Deum necessario complacere in possibilibus.

234. Prob. I.^o Ex Vatic. Conc., ut supra habetur in Thesi XXXV, n. 114.

2.^o Paulus ait (1): *Cujus vult, miseretur*. Et iterum (2): *Dividens singulis prout vult*. Insuper (3): *Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitias in salutem*. Ex quibus arguitur: ejusmodi sententiae liberam voluntatis actionem significant. Sed debet Scriptura in sensu naturali et proprio intelligi, nisi manifesta necessitas aliud suadeat: ergo libera est Dei erga creaturas voluntas.

3.^o Hilarius (4) dicit: «Liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, praestat ex sese.» Ambrosius (5) similiter: «*Dividens singulis prout vult*, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.» Augustinus etiam (6): «Deus ipse »numquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium »habere negandus est?»

Sic PP. communiter. Concil. Constant. damnavit Wicleffi errorem, et Leo X. similiter Lutheri, qui negabant Dei libertatem.

(1) Rom. IX, 18. — (2) I Cor. XII, 11. — (3) II Thess. II, 12. — (4) De Syn. 44. — (5) L. 2 de fide, c. 6, n. 48. — (6) L. 22 de Civit. Dei, c. 30.

235. 4.^o Libertas amandi vel non amandi bona finita est perfectio simplex: ergo Deo convenit. *Ant.* prob. Agere secundum rationem est perfectio. Sed est secundum rationis dictamen, quod non feratur necessario voluntas in bona finita: ergo libertas erga res finitas est simplex perfectio. *Min.* patet. Nam ejusmodi bona sunt ex se contingentia, et voluntas divina adaequate actuatur et perficitur per amorem bonitatis infinitae. Ergo est secundum rationem ut non feratur necessario ad bona finita.

5.^o Habere suae voluntatis dominium, ut non feratur necessario in bona limitata, ex perfectione fluit rationis; ut patet in homine, prout a bestiis discriminatur. Sed Deus habet summam rationis perfectionem: ergo et voluntatis dominium.

236. Objic. I.^o Indifferentia ad esse est imperfectio: ergo et indifferentia ad agere, cum hoc sit ipsius esse complementum.

Resp. Conc. *ant.* Quia indifferentia ad esse oriri nequit, nisi ex potentialitate seu indigentia entis. Et nego *conseq.* vel subd. Si indifferentia ad agere oriatur ex defectu, seu limitatione virtutis; conc. Si ex plenitudine activitatis proveniat, quia, scil., valet ad opposita, et sui dominium habet agens; nego *consequentiam*.

237. Objic. 2.^o Deus est summe inclinatus ad se communicandum, cum sit summum bonum. Sed quo major est inclinatio, minor est indifferentia; ergo nullam habet libertatem seu indifferentiam in opera ad extra.

Resp. Dist. *maj.* Ad se communicandum *ad intra*, conc. *maj.* Ad se communicandum ad extra; subd. Inclinatione formali; nego *maj.* Inclinatus entitative; conc. Scilicet, cum sit Deus summum bonum, congruitas communicationis sui est summa entitative: cum vero sit etiam summe Dominus, summe sibi sufficiens et beatus, congruitas incommunicationis est quoque entitative summa. Unde Deus potest se communicare, vel non communicare, ad extra cum summa congruitate; ideoque inclinatio, ut excludit indifferentiam, non est formaliter in Deo, donec libera accedat ejus ad alteram partem complacentia.

238. Objic. 3.^o Non datur libertas sine indifferentia ad actum voluntatis ejusque objectum. Sed indifferentia ad actum non est sine potentialitate, quae Deo repugnat: ergo repugnat in Deo libertas.

Resp. Dist. *maj.* Libertas creata non datur sine... Conc. *maj.* Increata; subd. sine indifferentia ad actum *entitative* sumptum; nego. *Terminative* conceptum; conc. *maj.* Et dist. *min.* Indifferentia ad actum entitative acceptum Deo repugnat; conc. *min.* Terminative; nego *minorem*.

Objic. 4.^o Deus vult peccatum creaturae: ergo vel non est liber ad extra, vel ei etiam imputanda sunt peccata.